



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXXV. De Cultu & Veneratione Sacramenti Eucharistiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

aiens: dignus est operarius mercede sua. Videmus igitur divino & naturali jure conforme esse, ijs, qui nobis ministrant spiritualia, corporalia seu necessaria ad vitæ sustentationem suppeditari.

XXX. *Error quartus est*, Missam vulgari linguâ & pro Germanis germanicam celebrandam. Ita Lutherani molliores, hoc est, Confessioni Augustanæ adhærentes, & ex his Kemnitius in part. 2. Exam. pag. 883. & seq. contendens, missam dici oportere, ut populus intelligat. Fundamentum potissimum sumunt ex Apostolo 1. Cor. 14. ubi reprehendit Corinthios in Ecclesia peregrinis linguis loquentes, quos alij non intelligebant vers. 24. ita dicens, *si conveniat universa Ecclesia in unam, ut omnes linguis loquantur: intrant autem Idiota, & Infideles, nonne dicent, insanitis?* Addunt exemplum primitivæ Ecclesiæ: Item teste Azorio p. 1. L. 7. Inst. moral. c. 26. Ecclesiam permisit, ut Alexandrini populi, & Ægyptij Arabicè, Armeni Syriacè, & Moravi olim Sclavonicè, & Russi seu Rutheni vulgari suâ lingua peragerent officia divina.

XXXI. Contra errorem hunc sic re diligenter maturequè expensâ statuit Tridentinum Concilium Sess. 22. c. 8. *Esti Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur.* Factum fuit hoc statutum propter duo maximè incommoda sanè gravia, quæ sequerentur, i. quod oporteret frequenter mutare verba sacrificij, cum vocabula, quæ uno tempore sunt vulgaria, non diu post desinunt esse vulgaria. 2. quod tolleretur communicatio Ecclesiarum; nec enim posset Germanus celebrare in Italia & Gallia: nec Italus in Germania & Hungaria, quod idem est de Hispano, Anglo, Polono, aliisque Nationibus. Accessit antiquissima Ecclesiæ Consuetudo. Nam in toto Oriente non inveniuntur antiquæ liturgiæ nisi Græcæ aut Chaldaicæ: in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt nisi Latinæ; quæ tamen linguæ à multis jam sæculis deserunt esse vulgares; imò Germanis, Francis, Anglis, Polonis lingua Latina nunquam fuit vulgaria. Unde Sapientissimum fuit illud Concilij decretum, quod tamen non eò spectat, an sacrificium Missæ non possit in alia præter tres sacras linguas peragi, maximè in Syriacæ & Chaldaicæ, quæ non aliter, quàm dialectis fere differunt, cæterisque etiam: sed an expediat, & cujus Authoritate permitti id debeat?

XXXII. Respond. ad fundamentum Adversariorum. Apostolum id suum dictum limitasse vers. 5. *Major est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, ut Ecclesia edificationem accipiat.* Atqui Ecclesia Catholica suas ceremonias in Missis usitatas, sicuti etiam Scripturam solet explicare per Concionatores & Catechistas, sine qua explicatione non expediret populo Sacram Scripturam germanicè prælegere; quia propter obscuritatem non intelligeret, sed potius errores inde hauriret, ut ostendit Forer in Antiquit. Patris Lib. 7. cap. 18. & 19. num. 13. Quapropter Ecclesia, ut diximus, vetuit, Missam dici, nisi in tribus præcipuis linguis in titulo Crucis sacratis, nimirum Hebraica, Græca, & Latina. Et sanè ad pietatem Fidelium generalis & confusa notitia, (quod in missa nihil legatur nisi Sanctum, nempe doctrina DEI & preces ac laudes) abunde sufficit, sicuti etiam in privata oratione rarè ad significationem verborum attenditur, sed tantum in

confuso aliquid pij concipitur. Christus Dominus etiam Luc. 4. v. 16. in Synagoga populo prælegit Scripturam in lingua hebraica tunc vulgo ignota; quippe in captivitate Babylonica per chaldaeos corrupta, ut ibid ostendit P. Conzen. Ad hæc sacrificium non offertur ad populum instituendum si de primario & proprio fine agatur, sed ad DEUM colendum, & ad impetranda populo beneficia. Non igitur requiritur, ut populus intelligat id, quod dicitur, sed satis est, si DEUS intelligat. Ad exemplum Primitivæ Ecclesiæ dicimus, id non esse trahendum ad hæc tempora; quia aucto Fidelium numero in tanta multitudine varij ex causis sapientissimè alia expedire, quàm prius videri possunt. Ad Alexandrinos, Ægyptios, & Armenos ait ipse Azor, illos permissionem Ecclesiæ extorsisse. Sed extorquebimus & nos, inquit Gêrhardus L. 2. P. 2. fol. 1243. quod jus divinum non tantum permittit, sed etiam præcipit. Quid opus extorsione? ostendatur jus divinum aliquid quoad hoc præcipere. Verum quid ab homine vano requiro scripturam sacram, cum neciat suam Augustanam Confessionem; nunquid ista art. 3. de missæ abusibus sic habet: *Retinetur Missa apud nos, & summa reverentia celebratur: servantur & usitate ceremonie fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admittuntur alicubi Germanicæ ad docendum populum;* quibus verbis haud obscure insinuat, nullum extare præceptum divinum Missæ germanicè celebrandæ, aliàs omnia & in omni loco lingua Germanicæ fierent. Moravi & Sclavi id Romani Pontificis auctoritate obtinuerunt, nec ultra evincit testimonium Innocentij III. ab eodem Gerardo fol. 1238. adductum. Ista autem facultas non omnibus fuit concessa; cum enim Bohemi quoque eam à Gregorio VII. sibi peterent, rescripsit Pontifex Duci in hæc verba L. 7. Regist: *Quia, inquit, Nobilitas tua postulavit, ut secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum officium celebrari annunciamus, scias, nos huic petitioni tue nequaquam posse satisfacere, & hoc nempe sepe volentibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti DEO placuisse, quibusdam in locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vislesceret, & pateret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem deduceretur.* Videantur Laurent. Forer loc. cit. & Lib. 1. cap. 21. num. 70. Bellarm. Lib. 2. de Missa c. 11. Lib. 2. de Sacram. in gen. cap. ult. L. 2. Verbi DEI c. 16. & Gretferus in defens. Bellarm. eod. cap. Cornel. à Lapide in 1. Cor. c. 14. v. 14. & c.

## CONTROVERSIA LXXIV.

### DE CULTU ET VENERATIONE Sacramenti Eucharistia.

**D** Augustinus Lib. 20. contra Faustum recitatos, Gentiles olim de Christianis suspicatos fuisse, colere illos Cererem & Bacchum, eò quod Christum DEUM & Hominem sub speciebus panis & vini adorarent. Sæcularij nostri temporis ab hac quidem suspitione immunes fuissent, sed nec Christiani inter Gentiles apparuissent. Unde coniecitur, quàm immeritò ijdem Navatores hodie litem moveant de adoratione Christi in Sacramento Eucharistia jam in primæ-

va Ecclesia apud Christianos à Gentilibus animad-  
versa. Suppositis ijs, quæ supra de Adoratione  
controv. XLI. fusè diximus.

## PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHO-  
LICORUM.

I. **D**octrina prima. Christus in Eucharistia di-  
vino & supremo cultu Patriæ adorandus  
est. Ita ex fide tenent omnes Catholici juxta Tri-  
dentinum Sess. 13. c. 5. sic loquens: Nullus dubitan-  
di locus relinquatur, quin omnes Christi Fideles pro more  
in Ecclesia Catholica semper recepto Patriæ cultum, qui ve-  
ro DEO debetur, huic Sacramento in veneratione exhibe-  
ant. Nam illum ipsum DEUM præsentem in eo adesse  
credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terra-  
rum dicit Psal. 96. adoret eum omnes Angeli. Et can. 6.  
Si quis dixerit in Sacramento Eucharistia Christum Unige-  
nitum DEI Filium non esse cultu Patriæ etiam externo a-  
dorandum, atque adeo festivâ peculiari celebritate vene-  
randum, neque in processibus secundum laudabilem &  
Ecclesia Sanctæ universalem ritum & consuetudinem so-  
lemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, po-  
pulo proponendum, & ejus adoratores esse idololatrias, a-  
nathema sit. Huic Tridentino non adversatur Con-  
cilium Carthaginense III. præcipiens can. 23. ut,  
eum Altari affisitur, semper ad Patrem dirigatur oratio;  
loquitur enim solum de Sacrificio, & vult, ut Sac-  
cerdos orationes in Missa tam ante quam post con-  
secrationem ad DEUM Patrem dirigat, cui dilec-  
tus Filius suus offertur, & in quo Sacrificio Mis-  
sæ memoria cruenti sacrificij in. cruce peragitur  
ejusdem Domini nostri JESU Christi. Probat  
i. ex Sacra Scriptura. In decalogo (qui est com-  
pendium legis naturalis) jubemur, Dominum  
DEUM adorare. Atqui in hoc Sacramento est  
præsens Dominus DEUS noster. Ergo debemus  
adorare. Deinde Pater cælestis speciali præcepto  
mandavit Filium suum Christum incarnatum ab  
Angelis adorari Psal. 96. cit. v. 8. adorate eum om-  
nes Angeli ejus. Sicuti etiam in præsepio jacentem.  
Heb. i. v. 6. Et cum iterum introducit Primogenitum in  
orbem terra dicit: Et adoret eum omnes Angeli Dei. Simile  
præceptum Patris cælestis habetur ad Philippenses  
2. v. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad  
mortem, mortem autem crucis; propter quod & DEUS  
exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super om-  
ne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur cæle-  
stium, terrestrium & infernorum. Ipse etiam Christus  
hoc præceptum de se adorando objecit dæmoni  
Matth. 4. v. 11. Dominum DEUM tuum adorabis.  
Non obstat frivola excusatio Novatorum, quod  
Christus non jussit se adorari in Eucharistia.  
Nam sufficit generale mandatum in cit. locis pro-  
mulgatum. Neque Christus jussit, se adorari à  
Magis in præsepio, neque ab Apostolis in Ascen-  
sione, à quibus tamen rectè fuit adoratus. Proba-  
tur 2. ex antiquissima praxi Ecclesiæ. Nam ideo  
in Missa elevatur hoc Sacramentum, ut à Fide-  
libus adoretur, sicuti in primitiva Ecclesia usitatum  
fuisse, testatur D. Dionysius Areopagita S. Pauli  
discipulus in Hierach Ecclesiast. cap. 3. Verba illis  
in Tom. 1. Patrum edit. Colon. 16. 18. sunt ista:  
Sed, o tu divinum sanctissimumque Sacramentum, dis-

operi, anigmatum vestibus, quæ symbolicè (seu recondito  
sensu) circum jacent, ut perspicue nobis manifestum evadat,  
mentisque nostra oculos singulari, & quæ obtegi non potest,  
luce comple. Librum autem hunc de Hierach. Ec-  
clesiast. esse Dionysij Areopagitæ contra Hæreti-  
cos pluribus ostendit Lat. ent. Fo. er in Antiq. Pa-  
patûs L. 7. c. 21. num. 4. & seq. Constat etiam ex  
Liturgijs tam Græcæ, quam Latinæ linguæ, tum  
ab initio Ecclesiæ, tum in quatuor primis sæculis  
Sacerdotem ante Communionem versus Venera-  
bile Sacramentum dixisse. Ecce Agnus DEI, qui &c.  
Item Domine non sum dignus &c. In aliquibus etiam  
ponitur, DEUS propitius esto mihi peccatori; quæ  
certè omnia diriguntur ad Christum DEUM ado-  
randum.

II. Probat 3. ex testimonijs SS. Patrum, quæ  
magno numero affert Cardinalis Bellar. Lib. 4.  
de Eucharist. cap. 4. 29. & 30. Exempli causâ  
sufficiat unum & alterum D. Augustini, qui in  
Psal. 95. sic scribit: nemo illam Carnem manducat,  
nisi prius adoraverit. Chrysostr. hom. 3. in epist.  
ad Ephef. simili fere modo ait: adora & mandu-  
ca &c. D. Ambrosius Lib. 3. de Spir. Sanct. c. 12.  
Videamus, inquit, ne terram illam dicat adorandam Pro-  
pheta, quam Dominus JESUS in carnis assumptione suscep-  
it. Itaque per scabellum terra intelligitur: per ter-  
ram autem caro Christi, quam hodie quoque in Mysterijs  
adoramus. Patres in Concilio Niceno can. 63. sic  
statuerunt ex Arabica versione: Ut sit in unaqua-  
que Ecclesia æconomus, & cum eo alij habeant curam  
proventuum. Alij vasorum auri & argenti & vestimen-  
torum. Alij habeant curam loci, in qua S. Eucharistia ser-  
vatur. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de  
obitu Gorgoniæ Sororis suæ refert, quod ante Al-  
tare in fide procubuerit, & caput super altare reclinav-  
rit, ac Christum invocaverit, sicut olim Magdalena. Vi-  
deri etiam potest Jacobus Keller in Papatu Ca-  
tholico Tom. 2. à fol. 712. ubi ex clarissimis Pa-  
trum verbis ostendit, Sacramentum Eucharistiæ  
post Consecrationem manere Sacramentum, cre-  
di, adorari &c. Equidem Molinæus à fol. 1146.  
hæc Patrum testimonia, nequiter eludere molitur,  
sed revera clariora sunt quam quæ in sinistram &  
hæreticum sensum trahi aut obscurari se patiantur.  
Ut bene ostendunt citati Pontificij Authores. Pro-  
batur 4. exemplo Davidis Regis 2. Reg. 6. qui ar-  
cam fœderis (cui tanquam scabello DEUM infi-  
dere imaginabatur) tantâ pompâ & veneratione  
coluit. Quânto magis venerandum est hoc Sacra-  
mentum, quod non solâ imaginatione, sed reip-  
sâ Christum continet. Exemplum hoc præclare  
imitatus fuit Carolus V. Imperator in comitijs  
Augustæ Vindelicorum habitis, ubi in ipso die  
Corporis Christi Sac. Eucharistiam sollemnissimè  
circum portatam subsecutus est nudo semper ca-  
pite, tametsi sol esset ardentissimus in manu qua-  
tri fidam gestans facem: unde etiam instar Davi-  
dis mirè à DEO in omnibus fuit prosperatus, ut  
ejus felicitas potentissimo Turcarum Tyranno es-  
set formidabilis. Quapropter hic maxime habet  
locum illud DEI effatum 1. Reg. 2. v. 30. Quicum-  
que glorificaverit me, honorabo eum: qui autem contem-  
nunt me, erunt ignobiles. Videatur Laurent. Surius  
in historia V. sæculi Anno 80.

III. Probat 5. ex miraculis, quibus DEUS  
obstinatos hæreticos hujus Sacramenti adoratio-  
nem detrectantes multavit, & ad eorum confu-  
sionem stupidissima animalia porcos & asinos ad  
ejus adorationem impulit, dæmones ejus præsen-  
tiâ &

tiâ & virtute ejecit &c. Beatus Optatus Episcopus Milevitanus L. 2. contra Parmenianum refert, Episcopos Donatistarum, cum Sac. Hostiam suis canibus objecerent, ab ipsdem fuisse moribus dilaceratos. Thomas Waldensis Carmelita Tom. 2. de Sacramentis scribit, Londini in Anglia Sectarorem Wiglessitam iustum adorare S. Hostiam dixisse, araneam digniorem esse adoratione, quam Hostiam, & mox ingenti araneâ à tholo templi in ejus os delapsâ fuisse punitum. D. Bernardus in virtute Eucharistiæ dæmones ejecit, ut in ejus vita scribit Wilhelmus Abbas hisce verbis: *adeſt, inique Spiritus, Judex tuus, adeſt ſumma Potestas, jam reſiſte, ſi poteſ.* Plura similia passim alij referunt. Probatum denique 6. largâ benedictione, quâ DEUS hujus Sacramenti cultores remuneratus est, cujus testis est Serenissima Domus Austria, quæ propter honorem Venerabili Sacramento semel exhibitum à statu Comitum de Habsburg ad summum Imperij Romani fastigium evecta fuit. Nam cum anno Christi 1264. Comiti Rudolph Habsburgi (quæ est arx prope Bruggum Helvetij oppidum sita) equitanti occurrisset Parochus Venerabile Sacramentum ad ægrotum quemdam procul habitantem deferens, & per rivum quemdam ponte carentem transvadare parasset, Comes mox equo defiliens Parochum conscendere jussit, & pedes ipse Sac. Eucharistiam per aquas comitatus fuit. Peracto dein itinere equum etiam Parocho dono reliquit, indignum se ratus, eum se denuo equum conscendere, cui Christus infedisset. Quod factum quàm DEO placuerit, mox per Prophetissam quandam in Helvetia eidem Rudolpho Comiti significavit, magnam ipsi benedictionem post novem annos securam pollicitus. His igitur novem annis elapsis Romanorum Imperator fuit creatus, ac novis Ditionibus & Regnis Austria, Hungariæ, Bohemiæ &c. auctus. Atque hanc Imperatoriam Dignitatem adhuc retinet Archiducalis Domus Austria. Ita Joan. Albert. Widmanst in præf. ad Epist. D. Pauli & alij plures. Unde tanta illa, quam etiamnum hodie conspiciat orbis Christianus, omnium Sereniss. Archiducum devotio erga SS. Eucharistiam. Videatur P. Thomas Le Blanc in Psal. Tom. 2. Psal. 21. v. 28.

IV. *Doctrina secunda.* Quamvis Christus Dominus in hoc Sacramento latens continuâ & perpetuâ adoratione dignus esset, sicuti ab Angelis & Beatis in cælo perpetim adoratur, tamen propter infirmitatem humanam varijs negotijs distractam non exigit à nobis continuam adorationem (sicut nec Apostoli in terris com eo conversantes illum semper adorârunt) sed relinquit humanæ discretioni, quando & quoties illum adorare velint. Ex communi & recepta consuetudine tunc maxime id faciendum est, quando vel in Missa elevatur, vel in Processione circumfertur, vel ad ægrum deportatur. Nam si quis tunc non adoraret, scandalum præberet & suspicionem infidelitatis. Interim perpetuus aliquis cultus huic Sacramento exhibetur in splendore Tabernaculorum & Ciboriorum &c. quæ sunt loco adorationis.

V. *Doctrina tertia.* Species Panis & vini, sub quibus latet Christus, dupliciter spectari possunt. 1. conjunctim cum Christo. 2. separatim ab illo, tamen cum aliquo respectu ad illum; priori modo venerandæ sunt cultu Latriæ; posteriore mo-

do per inferiorem quendam cultum. Hæc doctrina declaratur & probatur à paritate Adorationis, quam Humanitati Christi Suarez in 3. Part. Tanner, Cardl. Lugo, Arriaga alijque Theologi tribuunt, quos secuti sumus supra Contr. XLI. cit. Quemadmodum ergo isti docent, Humanitatem specificè sumptam in Christo adorari eodem Latriæ cultu cum Verbo, quia scilicet totus Christus adoratur, solo hoc interveniente discrimine, quod Verbum propter suam propriam excellentiam adoretur, Humanitas verò propter solam conjunctionem cum illa excellentia cõadoretur: eandem autem reduplicativè acceptam secundum excellentiam creatam supernaturalem, unionem scilicet hypostaticam, quam habet in se, inferiorem quodam adorationis genere coli. Ita cum ipsdem hic docemus, Species Sacramentalis, si spectentur conjunctæ Christo, cõadorari eodem Latriæ cultu cum Christo, quia iste non præcisè, sed ut his speciebus affectus & præsentatus adoratur: si verò sumantur separatæ, non tamen absque respectu ad Christum tanquam ejus velamenta, coli easdem inferiorem quodam venerationis genere. Qualis autem iste sit cultus inferior, non convenit inter Theologos. Suarez loc. cit. D. 72. sect. 2. §. quæret aliquis. Card. Bellarminus Lib. 2. de Imaginibus c. 22. Tanner, Arriaga & nonnulli volunt esse cultum latriæ, sed tantum inadæquatæ & imperfectæ. Alij malunt, esse simpliciter hyperduliam, cum reverè inferior sit Latriæ. Res minoris est momenti, quàm cui diutius immoremur, & satis de hoc supra loc. cit. dictum.

## PARS POSTERIOR.

### ERRORES HAERETICORUM.

VI. *Error primus est,* Sacramentum hoc non esse adorandum. Ita Lutherani apud Joan. Gerhardum Lib. 2. Part. 2. à fol. 138. Et Calvinistæ apud Guilielmum Amesium Tom. 3. à fol. 156. quorum isti nullam in Eucharistia Christi præsentiam: illi in sola sumptione agnoscunt; quod sibi persuadent hisce argumentis. 1. Si Sacramentum Eucharistiæ foret adorandum, causa esset, quod Christus in ea contineretur. Atqui hæc causa nulla est; aliàs probaret, omnes creaturas esse adorandas etiam porcos & asinos; quia in omnibus inest DEUS per infinitam suam Immenstatem. Consequens est absurdum ergo &c. 2. Christus non instituit Sacramentum eo fine, ut adoraretur, sed ut comederetur & biberetur. 3. Quia Apostoli in ultima cœna sedentes communicârunt, non adorabundi in genua procidentes. Ergo nec nobis id faciendum; illi enim nobis exemplum præbuerunt, quomodo communicandum sit; alioquin Christus illos monuisset, & jussisset surgere & in terram procidere. 4. Quia in tota scriptura nullum extat præceptum, quo jubemur hoc Sacramentum adorare; neque D. Paulus 1. Corinth. 11. accuratissimè describens modum rectè communicandi alius adorationis facit mentionem. 5. argumentum addunt speciatim contra tertiam doctrinam à Concilijs prohiberi duas adorationes respectu Christi. 6. Gregorius Nazianzenus & alij Patres vocant

vocant Eucharistiam antitypam, hoc est, merum signum. Ergo Christus in solo signo prærens est & honoratur.

VII. Error iste repugnare videtur lûmini Naturæ dictanti, DEUM Deique Filium adorandum, ubicûnque est; quippe in omni loco suam sibi identificatam habet excellentiam, ob quam adorationem meretur. Quod ipse etiam agnovit Lutherus; interrogatus enim circa hanc adorationem à Georgio Principe de Anhalt & Præposito Magdeburgensi Anno. 1. 5. 41. respondit, *si spiritum sanctum in forma columbe videret, sicut in Baptismo supra Christum visus est, prolapsurum se in genua, & erectis manibus diciturum, Spiritus Sanctus esto mihi propitius; cur igitur, inquit, hoc ipsum non præstem venerabili Sacramento Eucharistia, in quo Christus est prærens?* Ita refert idem Princeps Conc. 4. de Eucharistia; qui hanc deinde doctrinam multis ducit affirmans, Christum non solum in ipsa sumptione, sed etiam extra hanc esse præsentem, & adorari oportere exemplo cæci; quem Christus corpore & animo illuminavit Joan. 9. quamprimum enim intellexit, se coram Christo stare, *procidens adoravit eum.* vers. 38. quod factum approbavit Christus subiungendo: *in iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Argumenta in oppositum allata nullius sunt momenti.

VIII. Respond. ad 1. adæquatam rationem, cur hoc Sacramentum adorandum sit, non esse, quod Christus in eo lateat (alioquin communicantes post acceptam Eucharistiam adorandi essent) sed quod solus ibi lateat nullâ aliâ substantiâ præsentem, quæ simul adorari videretur contra decentiam Religionis, ut si porcum vel asinum adorarem ob DEUM in eis latentem. Ad 2. negando consequentiam. Nam ut aliquis sit adorandus, non requiritur, ut captandi honoris gratiâ progrediatur, sed ut excellentiam honore dignam exhibeat; alioquin Christus in terra versans nunquam fuisset adorandus, cum non propter honorem suum in terram descenderit. Joan. 8. v. 50. *ego non quæro gloriam meam.* Aiunt Adversarij, ideo Christum verbis illis sacris: *hoc est Corpus meum.* Et: *hic est calix sanguinis.* præmisisse, *accipite & comedite: bibite ex eo omnes,* ut significaret, tunc fore Corpus & sanguinem suum præsentem, quando accepturi essent comesturi & bibicuri. Ergo est corpus & sanguis in solo usu. Verùm hæc explicatio verborum Christi non est consentanea modo loquendi, sed coacta & quæsitâ sine causa. Siquis puero aliquid porrigat comedendum, & dicat, accipe, hoc est optimum pomum, quis finget, sensum istorum verborum esse, si comederis, optimum pomum erit? Injuriam ergo verbis Christi faciunt, qui ea ita explicant, ut cum diserte dixerit, *comedite, hoc est corpus meum,* ipsi velint, sensum esse, si comederitis, erit corpus, aliâ non.

IX. Ad 3. Inprimis Apostoli probabiliter non sedentes, sed in lecto iacentes comederunt; Judæi enim veteri more non sedebant ad mensam, sed in lectis recumbabant, ut constat ex varijs Sac. Scripturæ locis. Deinde adoratio non solum consistit in genuflexione, aut prostratione, sed in varijs ceremonijs. licet ergo Apostoli communicantes non surrexerint, nec in genua procciderint, potuerunt tamen alijs modis Eucharistiâ adorare, ut capitis inclinatione, manuum complicatione,

quod eos fecisse credibile est. Demum si Apostoli in omnibus gestibus imitandi sunt, non stantes, sed sedentes vel iacentes debemus communicare, quod nec Lutherani faciunt. Nam Apostoli Christo familiares & perpetuò cum eo versantes non semper adorabant, sicut nec Aulici suos Principes semper honorant; nos verò rarissimè ad Christum accedentes magis venerari decet, sicut peregrinos, qui petiti audientiâ ad Principem ingrediuntur, cum magna honoris exhibitione Ad 4. negando inprimis consequentiam; quia ad licitum actum non requiritur præceptum 1. Tim. 1. v. 9. *Iusto non est lex posita.* Ergo sine lege justè benèque agit. Deinde negando antecedens. Quia lex Naturæ jubet adorare DEUM, & Cœlestis Pater Filium suum adorari præcepit, ut patet ex doct. 1. part. prioris. Denique quamvis Apostolus ad Corinthios non fecerit mentionem specialem adorationis Eucharistia, tamen Roman. 13. v. 7. generatim monet, *reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem &c.* Ad 5. hoc fieri contra Nestorium aliòsque hæreticos, introducentes Christi adorationem complectam terminari ad duas in eo personas, quarum unam per alteram diverso cultu adorandam dicebant; ut proinde prædicta Concilia nihil habeant contra nos, qui non loquimur de adoratione totius suppositi, nec volumus Humanitatem veluri diversum suppositum more Nestorianum adorari posse diverso cultu ab eo, qui toti supposito tribuitur; hoc enim longè abest à nobis.

X. Error secundus. Sacramentum Eucharistia non est theatricè circumgestandum. Ita iidem Hæretici, nominatim Joannes Gerhardus loc. cit. fol. 1140. ubi singulariter in Processiones cum venerabili Sacramento Eucharistia (uti fit apud Catholicos in festo Corporis Christi) insurgit, ridiculè theatricam circumgestationem vocat, & abijciendam judicat. Tum quia circumgestatio hæc repugnat Christi institutioni, qui Panem consecratum solum Discipulis manducandum dedit aiens: *accipite & comedite.* Matth. 26. v. 26. Tum quia Apostoli & primitivæ Ecclesiæ Fideles nusquam leguntur Panem consecratum circumgestasse & ostentasse. Tum quia theatra ista circumgestatio occasionem præbet idololatriæ & varijs superstitionibus. Error iste non est minor prioris, nec ab eo diversus, ac revera sanæ rationi repugnat. Si enim Rex David & omnis Domus Israel laudabiliter fecerunt, Arcam DEI seu Fœderis cum ingenti júbilo & clangore Buccinæ de domo Obededom in Ierusalem ac civitatem David introducendo 2. Reg. 6. cur Ecclesiâ peccet, malèque faciat, Sacro-Sancam Eucharistiam, quam repræsentabat Arca Testamenti, cum maximo honore, devotione, ac spiritali gaudio circumferendo atque adorando? Tum ut sic publicè Fidem suam protestetur. Tum ut Christum per fidem cognitum palam honoret. Tum ut Christo tanto suo Benefactori, quantam potest gratitudinem exhibeat. Tum ut injurias ac contumelias à Judæis, Gentibus, & Hæreticis Christo illatas omnibus modis ac viribus compenset. Tum ut hoc cœlesti præsidio urbes domòsque suas muniat ac supernam benedictionem accersat. Tum denique ut solenni hoc atque universali cultu refarciat, quidquid à singulis Fidelibus debita venerationis per annum fuit neglectum, ut asserit

Urbanus IV. Papa in decret. Instit. Festi Corporis Christi. Singulas hæc rationes pluribus declarant P. Georgius Scherer, Matthias Faber, & alij in suis Concionibus & Tractatibus.


XI. Respond. ad 1. in oppositum. Legem Naturæ præcipere adorationem DEI, & cælestem Patrem jubere Filium suum adorari, ut paulò ante diximus. Ipse etiam Christus institutionem hujus solennis & publici honoris Venerabili Sacramento Eucharistiæ exhibendi voluit, & Ecclesiam mirabili revelatione ad eandem impulit, ut videre est apud Diestemium in Libello anno 1603 edito. Sanctum Antoninum 3. Part. Tit. 19. c. 1. Onuphrium & alios. Ad 2. hoc mirum non esse, quia Apostoli & primi Christiani dominantibus adhuc Gentibus ausi non fuerunt, fidem hujus Sacramenti tali publicâ solennitate protestari, idque palam honorare, nec pretiosam Margaritam producere in lucem, ne pecorum (Gentilium) pedibus conculcarentur. Ad 3. nullum esse periculum idololatriæ & superstitionis; atque adeo non solum non peccamus adorando: sed peccaremus non adorando, ut S. Augustinus in Psal. 38. de adoratione Eucharistiæ gravibus verbis dixit, omnesque Sectarios Sterili & subsannanti Michol similes ostendit.



## CONTROVERS. LXXV.

### DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Sacramentum Poenitentiae in Nova lege ita connexum est cum virtute Poenitentiae, ut nec Sacramentum istud sine virtutis Poenitentiae actu consistere possit: nec actus virtutis Poenitentiae sine Sacramento Poenitentiae in revel in voto ad justificationem prodesse valeat. Unde Scholastici priusquam ad ipsum Poenitentiae Sacramentum accedant, de virtute Poenitentiae tractare solent. Verum quia omnia, quæ ab hæreticis moventur, Sacramentum Poenitentiae concernunt, ideo virtute Poenitentiae vix obiter tactâ statim ad Sacramentum Poenitentiae properabimus explanandum, & nec hoc universum (cum plura in eo ad Theologos morales spectent) sed restrictum, quatenus Controversum est; in quem etiam modum postea Indulgentias Poenitentiae annectemus, utpote huic affines.



### PARS PRIOR

#### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Poenitentiae nomine in communi intelligitur dolor quidam & retractatio prioris facti. Theologicè accipitur pro dolore de peccatis commissis. Quâ ratione dubium esse non potest, quin sit Virtus; quia per se patet, detestari peccatum, ut satisfaciamus DEO offenso, & cum eo celeriter in amicitiam redeamus, esse actum de se bonum & honestum, adeoque actum virtutis, non tantum secundum quid, sed

etiam simpliciter, ut teste Card. de Lugo Disp. 1. Tom. 1. de Penit. num. 1. communiter tenent Doctores. Sed minimè convenit inter eosdem, qualis sit virtus. Durandus Dist. 14. q. 2. putat, non esse certam virtutem in specie determinatam, sed virtutum omnium globum seu Justitiam generalem, quæ refarciat ac reparat errata omnia contra virtutes omnes. S. Thomas verò 3. Part. Q. 85. art. 2. & 3. atque alij plerique Scholastici multò probabilius contrarium tenent. Unde

II. *Doctrina secunda.* Poenitentia est virtus specialis ab omnibus alijs distincta. Probatur. 1. pars. Quia ibi datur specialis virtus, ubi adest speciale motivum. Atqui tale adest pro Poenitentia, ut constabit. Ergo &c. Non obstat, quamlibet virtutem detestari posse peccata sibi opposita ex proprio & peculiari suo motivo, & sic aliquo sensu poenitentiam nomen mereri. Nam adhuc datur aliud motivum extendens se ad omnia peccata, quod sola poenitentia attingit, ideoque specialis virtus dici debet juxta D. Thomam Loc. cit. ad 2. Prob. 2. pars. Quia si motivum specialis Poenitentiae differt à motivo aliarum virtutum, tunc & ipsa ab alijs distinguitur. Sed verum est Anteced. Ergo &c. Nam 1. differt à charitate; quia non est virtus theologica; siquidem non attingit immediatè & ratione sui, atque ut obiectum primarium DEUM; esto circa hunc versetur, ut obiectum Cui. Equidem SS. Patres, cum agunt & loquuntur de Poenitentia, maximè dolorem seu contritionem perfectam & ex charitate ortam intelligunt. Sed per hoc non negant aliud motivum & habitum, qui non sit virtus theologica; sed specialis Poenitentia. 2. differt à Religione; quia actus hujus seu cultus DEI est planè independens ab omni peccato; etenim nihil aliud in suo conceptu involvit, quam reddere DEO reverentiam debitam ob summam ejus Maiestatem: at verò Poenitentia detestatur peccatum ex longè alio motivo, ut constabit. 3. à Justitia vindicativa; quia punire peccata ex justitia vindicativa pertinet ad Superiorem seu Judicem. Nullus autem potest esse sui Judex aut superior. 4. à Justitia Distributiva; quia hæc versatur circa distributionem bonorum communium servando proportionem geometricam; id quod alienum est à speciali virtute Poenitentiae peccata commissa detestantis. 5. denique differt à Justitia Commutativa humana, quia ex communi sententia Theologorum est habitus per se infusus & supernaturalis.

III. *Doctrina tertia.* Probabilius videtur, habitum specialis Poenitentiae esse veram quandam speciem Justitiæ Commutativæ hominis ad DEUM, quâ homo non solum Jus divinum læsum reparat, sed etiam illæsum illud conservat, aut ab alijs quoque læsum restituit. Ita, expressè Suarez de Poenit. D. 2. S. 2. Tanner ibid. Q. 2. num. 30. Arriaga tum alibi, tum de Poenit. Disp. 2. num. 50. & apud hoc alij plures tam veteres quam Recentiores Theologi, ac nominatim S. Thomas: quem pro hac sententia stare fuse ostendunt cit. Authores. Probatur. Tum, quia inter Deum & hominem potest esse vera Justitia, ut docuit in Disput. de Incarnatione verbi anno. 1661. Frisburgi Brisg. impressa à thesi XCVII. cum Thomistis, Suarez, Tanner, Mendoza, Arriaga & alijs: ac vera injuria DEO per peccatum inferatur, ut sæpe innuit Sacra Scriptura, idcirco peccata